BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 A
34

50

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

50.5.50
50 A 53
50 C 29
14 3 B 4

DE EXPEDITA DISCENDI RATIONE

AD
Auſonij poetæ Carmen inſcriptum
De Demoſthene.

Hugolini Martellij Epiſcopi Glandatenſis

COMMENTATIO

Iuuentuti Florentinæ ſub Etruriæ Magno Duce
FERDINANDO Medice Muſarum
ſtudioſa dicata.

Bibl. Secr. Coll. Rom.
Soc. Jesu



BIBLIOTECA NA[...] ROMA VITTORIO EMANU[...]

. FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium.

AVSONII
BVRDIGALENSIS
VIRI CONSVLARIS
Epigramma.

Iuxta Vinetanã editionem num. cxxxi.
Iuxta Scaligerianam num. cxxxiii.

DE DEMOSTHENE

Diſcere ſi cupias doctis quàm multa licebit,
Quæ noſti meditando velis inoleſcere menti,
Quę didiciſti haud dũ,dicendo abſumere tendas.

AVSONIANI EPIGRAMMI
Argumentum

Hugolini Martellii

VT DISCAS, EDISCAS.

† 2

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUE

QVAE PRAECIPVA TRACTENTVR IN hoc opuſculo.

1. *ENcyclopediæ nominationes diuerſæ apud Latinos, & eiuſdem vocis originatio verior apud Græcos.*
2. *Cur viros doctos fugerit epigrammi propoſiti ſenſus.*
3. *Sciendi vera ratio memoriæ firma traditio.*
4. *Sex diſcendi gradus ad veram ſcientiam adipiſcendam.*
5. *Et ſi diſciplina diſtet à ſcientia, diſcere tamen ſumendum hic pro ſcire.*
6. *Vox* doctus *ambigua quomodo viris hic doctis impoſuerit.*

Verbum

7. *Verbum* noſſe *quàm appoſitè capiatur pro* diſcere.

8. *Meditandi vocabulum vnde deriuetur.*

9. *Inoleſcendi & inodorandi vocum affinitas.*

10. *Odoris & memoriæ cognatio maxima.*

11. *Linguæ ad impreßionem memoriæ, virtus mirifica.*

12. *Abſumere ad conſumere, & conſummare vel conſumare (verba perfectionem indicantia) quomodo commect.*

13. *Adſumere cum addiſcere, huic verò cum ſciſcere, & iſti cum ſcire, quantum ſit neceßitudinis.*

14. *Cur lingua memoriam tantopere iuuet.*

15. *Cur Demoſthenes ad fluctus maris declamaret veroſimilius diſputatum.*

16. *Auſonij loco de profeſſoribus in Demoſthenico lux illata.*

17. *Muſæ quo pacto cum tres ſint, dicantur Nouem.*

18\. *Senarius Muſarum numerus hactenus excluſus ab antiquis, nunc probatur accomodatior.*

19\. *Muſarum ordo triplex.*

20\. *Muſarum ordinis primi nomina, & ibi locus Ciceronis emendatus.*

21\. *Muſarum ethymologia non hactenus obſeruata.*

22\. *A Virgilio tamen in limine ſui Muſæi latenter indicata.*

23\. *Muſarum parentes qui, & ibi locus Virgilij animaduerſus.*

24\. *Quomodo Pater muſarum modo Iuppiter dicatur, modò Vſus, mater verò ſemper Memoria.*

25\. *Muſarum trium dignitate parium, quæ loco media, cur ſuprema ſit dignatione.*

HVGOLINVS MARTELLIVS EPISCOPVS GLANDATENSIS

Iuuentuti Florentinę Salut.

NIHIL à Deo bonorum omnium ſatore, & largitore (Nobiliſsimi Adoleſcentes) fuiſſe in Terris homini datum melius, aut præſtantius cognitione veritatis, præclari Philoſophi tradiderunt, Plut. Iſi.& o. *& ratione optima comprobauerunt. Nam cætera quidem omnia, quæcunq; vſui mortalibus eſſe no-*

ſcuntur, largitus eſt nobis affluenter Deus: opes, dignitates, voluptatum atq; amœnitatum, quas Terrarum vbertas fert, largiſsimam copiam, nec ſibi quicq̃ ex illis voluit reſeruatum. Cognitionem autem veritatis ita indulſit hominum generi, vt illam veluti ſolam Deo dignam, quaq́ Deus tantum ſua illa in æterna Beatitudine fruatur, ſibi retineat potiſsimum. Veri notionem inſtinctu Naturæ (quippe qua propius ad exemplar diuinitatis accedimus) affectant homines ſponte ſua cum primis; aſſecuntur autem quatenus mortali fas in hac terreſtri caligine, beneficio tantùm intelligentiæ, & ſcientiæ. Scientias (quod

nexu

nexu quodam inter ſe complectan tur) encyclopediam aptiſsima voce Græci nuncupaſſe putantur. Latini modo ſimpliciter literas, & literarum ſtudium, modo humanitatem (fortaſſe quia hominis nobilitate nulla alia magis digna cura) modo artes liberales vocitarunt: nõ tantum (puto) quòd libero atq; ingenuo homine dignæ ſolæ habeantur; quantum quòd hi ſce in primis, atq; à prima adoleſcentia, qui maximè cari liberi noſtri, inſtituendi, atq; exercendi nobis ſunt maximè. Hinc enim totius literaturæ, imò virtutum omnium, imò fœlicitatis cũctæ & decus & gloriam ſibi parare de facili poſſunt adoleſcentes: Nam aut

nuſquam

nuſquam in humana vita fœlicitatem, aut in ſola ſtudiorum meditatione poſitam eſſe ſemper existimaui. Neq; defuerunt in Latio, qui humaniora, & liberaliora hæc ſtudia, Platonem imitati, ſtudia Muſica vocitarint. Certè M. Tullius Latini ſermonis lampas, quando cum Muſis ſe delectare, vel cum omnibus Muſis rationem habere cogitabat, nihil aliud quàm cum humanitate, & cum doctrina commercium habere ſe intelligebat. Mitto quòd orbem doctrinæ quidam, encyclion diſciplinam alij, ſtudia politiora hæc indigitarunt. Sed quid moramur? Sapientia, vel moderatius aliquanto, philologia, imo philoſophia, ipſa hic ille

Plat. Cic. ad Att.

cycli-

cyclicarum artium orbis eſt. Honeſtior enim hæc encyclopædiæ mihi notatio paulo magis arridet, quàm vel quæ fortaſſe verior, circum ad vulgo tritum obuiumq́ vſum & circumforaneum retulit, vel quæ nimium ambitioſa circulũ hic perfectionem ſummam, abſolutamq́ præſeferre iudicauit; nimirum diuinarum, humanarumq́ rerum omnium ſcientia. (aliud enim in eo nil quærimus, quàm ſapere) planius tamen, euidentiusq́ inſtitutionem in bonas artes vocamus. Ad hanc encyclopædiam, ſiue in bonas artes inſtitutionem (Studioſi Iuuenes) ritè capeſſendam, qui non dico viatici quicquam afferat, ſed viam

Quint. lib.p. Vitruu. l.p.cap.p.

tan-

tantummodo commonſtret; is mihi de iuuentute, quinimo de toto genere hominum valde bene fuiſſe meritus videtur. Præſtitit vtrumque luculentiſsimè vir probus & nobilis, Poeta inſignis & bonorum morum cultor egregius Auſonius Burdigalenſis. Nam per vniuerſum diuerſorum ſuorum poematum volumen varia omnis generis doctrina refertum (demptos vellem ex eo laſciuiores quoſdam ſalacioresq́ue iocos) ad curſũ alacris Iuuentutis in humanarum literarum ſtadio, quantum attulerit adiumenti, vident ſanè omnes, qui venuſtatem & varietatem carminũ illius multa cum antiquitatis notitia iunctam degusta-

guſtarunt. Monſtrauit verò compendium viæ ad ſcientias certiſſimum, & expeditiſſimum (& ſi paulò laborioſius) in breuiſſimo quodam poematio tribus modo verſiculis exametris complexo. Carmen iſtud propter ſui breuitatem (vt ferè vſu venit vbi plura paucis incluſa volumus) cum aliqua caligine offunderetur: viri docti, qui ampliſſimis, lucidiſſimis, eruditiſſimisq; commentariis præclarà huius excellentis & antiqui Poetæ cuncta, quæ extãt poemata nuperrimè illuſtrarunt, inexplicatũ & tanq̃ lucis deſperatæ ſuis in tenebris cæcum reliquerunt. Idq; ingenuè teſtatũ cunctis non eſſe noluerunt. Cæterum nos ſi ad ſcientiam Ælias Vinet.

tiam

tiam veramq; virtutem ducentis ſemitæ indici & monſtratori Auſonio ſiue rauco ſiue nubiloſo, vocem & lucem reddiderimus; erit (ni fallor) cur apud ingenuarum diſciplinarum cupidos gratiæ tantundem ineamus, quantum è ſedulitate noſtra emolumenti illis acceſſerit. Tuo autem nomini (FLORENTINA Iuuẽtus ſtudioſa) lucubrationem hanc dicare conſtitui, nõ ſanè quod munuſculum noſtrum celebritate tua ſat dignum exiſtimemus; ſed quod opuſculum iſtud Muſarum cupidis adoleſcentibus conducibile multũ fore ſperemus. Maximos honores diuiniſq; proximos mereri, qui ad nobilis alicuius ſcientiæ facultatem promunt,

munt, vel addunt aliquid ſcimus. Laudari plurimum, fieriq; plurimi ab omnibus, qui prompta traditaq; ab aliis interpretantur, non ignoramus; ſed ſua quoq; laude non fraudantur, qui ſcientiarum capeſſendarum modum, & regulam ſubminiſtrãt. In fabrica quis dubitet architectoni primas deberi? verum is qui perpendiculũ aut normam aptauit, cur deſpiciatur? Equidem ad ſcientiarum ſtructuram ne dum architectus, ſed ne faber quidem, imò ne organi quidem alicuius artifex accedo. verumtamen normæ cuiuſdam ad liberale, & ſolo libero homine dignum ædificium ſummopere neceſſariæ deliteſcentis adhuc in ſitu & ſquallore

ſquallore deterſorem & expolito-rem me profiteor. Fruere igitur (Amica Iuuentus) munuſculo vel auſoniano vel noſtro, quod ætatis æquè atq; amoris in te pleni, tuorumq́; ſtudiorum valde cupidi nunc ad te mittimus; Cuius monita ſi ſequaris: expeditiſsimam, ſcito viam ingreſſum te, vt quantum ſtudioſè addiſcens ediſcendo labores, tantumdem ſeriò ſciens diſcendo proficias. Vale.

DE EXPEDITA DISCENDI RATIONE

IN

Auſonij Poetæ Burdigalenſis epigramma.

DE DEMOSTHENE.

» *Diſcere ſi cupias doctus quám multa licebit,*
» *Quæ noſti meditando velis inoleſcere menti,*
» *Quæ didiciſti haud dũ, dicendo abſumere tendas.*

Introductio ad ſenſum huius Epigrammatis. *Cap. I.*

SENTENTIAM iſtius Epigrammatis cōcludebamus hoc lemmate VT DISCAS EDISCAS. Documentum ſanè ad veram doctrinam & ſolidam comparandam non vtile modo, ac certum, ſed omnino neceſſarium. Vti

nam quicunq; ad literas addiſcendas incumbunt, præceptum hoc infixum animo ſemper habeant. Scitum enim illud, atq; probatum vſu. Qui memori mente aliquid ſcit, ille ſerio id ſcit. Qui contra nil memoriter nouit, is prorſus nihil nouit. Ad hanc memorationem validam & conſtantem, in qua ſcientia quæ vis tanq̃ in ſuo domicilio conquieſcit, vix datur aditus, niſi per quoſdam gradus. Qui licet pulcherrimè deſcripti tribus hiſce verſiculis, & ſuo quiq; loco poſiti: peruii tamen non fuerunt omnibus. Vel quod arduitas eorum fortè moleſtior eſſet, vel quòd fucus factus ſit legentibus à vocula malè emendata vna, & nimis ancipite altera. Nam cum ante annos ſeptuaginta codex Aldinus liquidò haberet in primo verſiculo *doctus*: nec non Griphius haud dudum tandem vocem in recto ſic retinuiſſet: recentiores Typographi tamen ſcriſpeꝛunt *doctis*. In penultima verò dictione modò legunt *abſumere*, modo contra adſumere: vtrumq; valde obſcurum.

Certè

Certè vir egregius Elias Vinetus Santon,qui nuperrimos, eoſdemq; copioſiſsimos, ac diſertiſsimos cōmētarios edidit in Auſonium, cum ad hunc locum perueniſſet (vti probum virum, atq; ingenuum decebat) ſyncerè fatetur ſe mentem huius epigrammatis aſſequi non valuiſſe. viri docti ac ſynceri verba. *Epigramma hoc nunq̃ quiui intelligere quid ſibi velit.* Hanc albuginem in acie pupillæ perſpicaciſſima cōtractam fuiſſe, partim à macula dictionis in primo verſu,& partim ab ambiguitate verbi in poſtremo, poſſumus exiſtimare. Nam & *doctis* legit, vbi *doctus* rectius erat. Et offendiſſe ad illud *abſumere* non eſt dubitandum; cum à ſe alibi contrarium verbum *adſumere* teſtetur repertum, neq; vnum magis quàm alterum voluerit aſſertum. 2.

Ad horum trium mirifico artificio, ac doctrina factorum verſiculorum indagandam ſententiam,tria nobis eodem tempore, atq; vno propemodū intuitu fuerunt tenenda.Primo mēs Scriptoris,

nimirum quem ad finem totus hic verborum circuitus ſpectet, inquirenda. Deinde methodus ipſa, quaſi via præto ria, per quam ad finem deſtinatum perueniremus ingredienda. Demum proprietas verborum, quæ non ita paſsim innoteſcebant, poſsidenda. Hæc eadem tria nobis ſuo ordine nunc in aliorum comodum & vtilitatem explicabuntur.

Mentem Epigrammatis eſſe modum & rationem docere ſciendi. Cap. II.

MENS totius periodi patere iam poteſt ex hypotheſi ſiue argumento, quod nos vice breuiarii totius ſententiæ appoſuimus. VT DISCAS EDISCAS. Ad hoc enim tendit præceptum epigrammate iſto datum: videlicet vt ſciamus, ediſcendas nobis eſſe diſciplinas, quas didiciſſe ſeriò volumus. Neq; enim ſat, prolatis libris, poſſe quæ libris continentur, promptè vel recitare vel enucleare. Verum quæ literis exteris conſignantur, memoriæ intimæ

mę ita depoſuiſſe & commendaſſe ne-
ceſſe eſt, vt memoriter ad omnes vſus
habere illa ſemper & proferre valeamus 3.
Grammaticen profiteris! (quando hæc
liberalium artium reliquarum ianitrix
in methodicen & hiſtoricen diſperti-
tur) niſi tu Canones loquendi formu-
las tradentes, niſi tu primariorum aucto
rum, poetarum pręcipuè, partes aliquas
illuſtriores memoriter pronũciare atq;
ex templo noueris explicare, qua fron-
te vel in albo litteratorum adſcribi poſ-
ſe ſperas? Iuris prudentiæ nomen dedi-
ſti! atq; decora, opes, clientum frequen
tiam ex hac facultate, dominationemq;
ambis! prudenter facies & conſultò, ſi
legum Romanarum epitomen Iuſtinia
nam ita penè ad verbum impreſſeris me
morię, vt actutũ de theſauro illius pro-
mere poſsis ad libitum, quæcunq; po-
ſcat vſus. Quid? Medicum ne peritum,
vel Geometram gnarum vocemus, qui
aut oraculorum Hippocraticorum far-
raginem multam ille, aut Euclidianorũ
Theorematum ſeriem longam iſte, me-

moriter non conceperit, & vbi ſit opus tanq̃ de penu propria non depromat? Hominem noui Arithmetices mirum in modum ſcientem, linguæ latinæ prorſus ignarum: ab illo, tunc temporis admirabilem illam numeralis ſcientiæ partem, quam Algebram vocant, Romę docebar. Is ſtatis horis quotidie particulam ſpheræ ſacroboſcanæ magna contentione animi, atq; ingenti quaſi mentis ſudore tradebat memoriæ. Ego, qui nec literas illum latinas vllas intelligere ſciebam, & in cœleſtibus motionibus primiq; orbis verſatione non modo rudem, ſed planè ſub alio cœlo ortum videbam, admirari ingenium hominis, & tantum non ad agnatos & gentiles deducendum arbitrari. Veruntamen, biennio vix interiecto, cum Lutetiæ Pariſiorum, in Cathedra regia, auditorum magna corona prælegentem illum conſpexiſſem mathematicas omnes diſciplinas: At At (mecum) arithemeticus aliquanto cautius literarum rationem ſubduxit & ſtudiorum, quàm ego. Ex eo

mihi ſcitum, nihil ſciri omnino ab iis, qui à memoria nihil ſciant. Contra per multum ſciri ab eo, qui memoriter meminiſſe per multa nouit. Imo memet irriſi poſtea ſæpenumero, qui ſciuiſſe aliquid mihi ſum interdũ viſus, ſi quando de inſigni aliquo auctore doctrinæ quicq̃ hauſiſſem: cum interea non mul to poſt ob inertiam ediſcendi, quod didiciſſe videbar, memoria mihi fucum fecerit: ſtultè, quid ſciuiſti, ſi modo id neſcis? Cur de ſcientia, vel intelligentia gloriatus, ſi nunc inſcitia atq; ignora tione cęcutis? Stet ergo fixum hoc in animis adoleſcentum, quinimo omnium, qui ſcire vel diſcere cupiunt (om nes autem homines id natura cupiunt) memoriæ ſedulò dandam eſſe operam, & in ea firmiter collocanda, quę didiciſſe volumus, ita vt nõ ibi modo aſſideãt, vel inſideant, ſed affigantur omnino atque infigantur. Neq; enim germana memoria, quę ſcientem hominem facit, & ſi per ſe memoriã (vt tradũt) ex partibus animi maximè delicata ſit & fragi- Senec. in Declam.

 lis,

lis,res fluxa vel fragilis cenſenda: Nubecula quæ parietem ſtringat, obſcuraſſe parietem non eſt dicenda: Sic neq; diſciplina,quæ tantum adumbrauit mentem, radices autem non vllas egit, doctos nos verè reddidiſſe putanda: quid moror? Muſarum, hoc eſt elegantiarum doctrinarum matrem, quam dixerunt philoſophi priſci? (hi Poetæ ſunt) non ne Mnemoſyne? & inter Muſas apud Delphos conſecratas, (tres autem illæ tantummodo) cuinam potiſſimus locus datus?non ne Mneme? Memoriã itaq; Muſarum genitricem, & rurſus memoriam Muſam principem effinxit priſca ſapientia. Neq; hoc ſanè tantum (quod arbitratur doctorũ cœtus) quòd memoriæ dexteritate nobis ſit opus ad ea capienda, & firmiter retinenda, quæ Muſarum beneficio diſcantur: ſed, vt mihi mens,& ad rem præſentem confirmandam amplius facit.Quia ſi cũ Muſis habitare iuuat: hoc eſt ſcientiam vnam vel alteram ſiue plures aſſequi ſtudium ſit: matrem memoriam, vel certè ſororem

rem

rem non quidem natu, ſed dignitate tamen grandiorem hoſpitari, inq; laribus noſtris accipere par eſt. Huius rei tamen myſtica ratio, & verior intelligentia ad calcem noſtræ diſputationis elucidabitur. Ergo rerum, quarum auemus ſcientiam, locupletè ac memori ſupellectili mentem noſtram (hæc domus noſtra) inſtruxiſſe atq; adornaſſe neceſſum, dicamus planius, apertiusq;: *ſi diſcere ſtudemus, ediſcere debemus*. Hinc ex memoriæ partitudine, Muſarum foetus largus in nobis, fœcunda proles. Memoriæ inquam, non quæ aptitudo, vel pars animi quaſi innupta virgo; verum memoriæ, quæ grauida iam ſit, & cui ſine labore (quippe quæ in habitu iam pridem) parere liceat, quandocunq; libeat. Eia Iuuenes ſtudioſi, vobis dictum ac prædictum velim, *ſcire multa vultis? ediſcite multa*. Et ſi quis obſtrepat, nimium multis egiſſe me, de quo nulla ſit controuerſia: ſuſcipite patrocinium vos, pro quibus laboro adoleſcentes: dicatiſq;, ſi verbis nullus, refragantur tamen

factis

factis ferè omnes. Deſides enim natura homines, laboremq; refugimus cuncti. At excutienda erat non verbis modo ſed fuſtibus hæc mollities animi. Hactenus de mente propoſiti Carminis. Dicamus nunc de methodo.

Methodus perueniendi ad ſcientiam. *Cap. III.*

SCOPVS erat (vt iam dicebamus) monſtrare viam, rationemque, qua ſcientiam concupitam teneamus. Sex ſpatia diſcendi ponit doctus Auſonius. Nam quòd nos ſcire intelligimus, ille *diſcere* vocat cum proponit.

„ *Diſcere ſi cupias doctus quã multa licebit.*

Ergo per ſex actiones mentis, quaſi per ſex gradus ad culmen aſcendimus ſcien-
4. tiæ, ad quam aſpiramus. Primus gradus eſt *doceri*, nimirum doctorem, & Magiſtrum nãciſci, qui nos erudiat. Vix enim ars vlla datur vel facultas, ac multo minus ſcientia, quę non doctorem & commonſtratorem deſideret. Secundus gradus,

dus, intelligere quæ docemur. Quid profit enim doctorem habuiſſe, atq; illum etiam idoneum, & docentem commodè: ſi quæ doceat ex arte ipſe, diſcipuli vel negligant, vel non intelligant? Tertio loco non ſat fuit apte doceri, & rectè intelligere, quæ docti fuimus: neceſſe adhuc eſt, quę captu mentis ſemel complexi, dum docebamur, ea poſtea nobiſcum interna meditatione recolere, & quaſi ruminando remandere: ſemel ne ſatis? non Hercle, ſi ſapimus: ſed eouſque cogitando & recogitando eadem reuoluenda ſunt animo, quouſq; menti adhæreant & memoriæ applicentur. Atq; hic quartus veræ diſciplinæ gradus agnoſcitur, in qua ſtatio valde quidem bona, ſed tamen malè fida carinis. Vt portum teneamus altius adhuc progrediendum: & Quintus gradus (quaſi promontorium valde eminens) ſuperandus. Neq; enim ſatis, ad certam & facilem diſcendi rationem mente tantum identidem reuoluere, quæ memoriæ leuiter adhæſerunt, tamq̃ puluiſ- Virgil

cure

cute tenus ; opus eſt ad hæc ſolidam mentis ſubſtantiam penetrare, & in ea veluti clauo trabali affigere quæcunq; verè & feriòdidiciſſe volumus: hoc ſanè tandem habitus ſcientiæ requirit. Præſtat extremũ gradum hunc vſus linguæ, & vocis externæ prolatio, vt paulo poſt dicemus latius, & phyſica ratione comprobabimus. Itaq; ſextus & vltimus gradus diſciplinæ verę fuerit, ita infixiſſe memoriæ (qua nihil fluxum magis ac labile viri docti atq; experientes dixerũt) quodcumq; ſcitum nobis eſſe cupimus, vt auelli non facile poſſit. Id qua ratione facile fiat, hactenus indicatum, mox explicabitur.

Hi ſunt ſex gradus, quibus expedita via poſſe quemuis non bardum ingenio vel ſtupidum peruenire ad ſcientiã dicebamus: ab Auſonio ſtrati ſuo ordine ac nomine, verbis quidem ſat apertis, & valde propriis, necnon ſignificatione inuicem valde diſtantibus. Cœterum affinitate quadam interſe tanta: vt non in procliui foret omnibus illorum diſcri-

diſcrimen pernoſcere. Nos de ſingulis modo (quod polliciti fueramus tertio loco tractaturi) cum ſententię grauiſſimę pondus, tum locutionis proprietatem & puritatem aperiemus.

Diſcere ſi cupias. Cap. IIII.

SEx quos indicabamus gradus ad ſcientias, ſeptem explicantur verbis ab Auſonio. Sunt autem iſta *diſcere, doceri, noſſe, meditari, inoleſcere menti, dicere, abſumere* vel *adſumere.* Horum verborum primum *diſcere* inter gradus ſciendi non ponimus: quando terminus ſit ad quem tendimus, & in quo tandem conquieſcimus. Vocat enim Poeta *diſcere*, quod re vera fuerat *ſcire.* Diſcendi trita & vulgaris notatio, quamuis actionem mentis ſignificet in paranda ſibi alicuius nouæ rei cognitione adhuc imperfecta, tamen hoc loco pro completo ac perfecto talis actionis termino, hoc eſt integra, firma, conſumataq; ſcientia, habitu videlicet ſcientiæ, ſumenda eſt.

Vt omnino *diſcere* hic ſit ἀκριβῶς ἐξεπίςασθαι. Neq; enim diſcētiam illam (vt ſic loquar) qua diſcipuli dicamur, hac voce modo accipimus, quæ ſine aliquo mentis labore, ac fatigatione fieri nequit;

Ariſt.8. polit. Μετὰ λύπης γὰρ ἡ μάθησις ſed finem, ad quem ſtudium noſtrum, atq; omnis labor collimat intelligimus, quod abſq; dubio erat *ſcire*. Vt ſenſus ſit; ſi cupias ſcire, compararéq; tibi multarum rerū perfectam cognitionem: obſerua (ſi ſapis) diligenter ac ſuo ordine, quæ à nobis hoc loco præcipiuntur. Fuerunt quidē olim multi iugæ diſciplinæ Magiſtri, ſophiſtę laudatiſſimi, qui docerent.

Iſocr. ad Dem. ἐὰν ἦς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής. Et ſanè propenſio animi valida, ardensq; amor diſcendi ad multa nos addiſcenda impellit. Eſt enim (vt ſapientes tradunt) Μεγάλη διδάσκαλος ἀγάπησις, veruntamen

Io. Chr. inanis omnis animi noſtra foret impulſio, niſi ſedulò adhibeantur media, per quæ tanquàm à carceribus noſtræ cupiditatis mens ad metam deſtinatam decurrat,

Doctus. *Cap.* *V.*

PRimvm ſcientiæ gradum, quos fu giat, eſſe magiſtrum nanciſci, qui do ceat? ſine quo omnis conatus noſter planè irritus euaderet. Non tamen dum Magiſtrum voco, vel doctorem, aut do cendi munus memoro, præceptorem viua tradentem voce ſemper intelligo: ſunt enim & alii nihilo inferiores Magi ſtri muti, ſuo mineruali quoq; digniſſi- mi: hi libri, auctorumq; nobiliũ monu- mẽtá, ac documenta. Et fuiſſe olim non ignoram⁹ Phemios multos ἀυτοδιδάκτυς vt gloriabatur Epicurus ſe magiſtrum habuiſſe nullum, & hac tempeſtate for- taſſe non deſunt aliqui, ſuamet indu- ſtria nullius adiuti magiſterio diſcipli- nam aliquam profeſſi. Et ſcimus multa nobis ex inuentione noſtra, priuſquam ex aliena doctrina conquiri ſæpius. Cœ terum id (ſi diligentius inſpectes) vel nõ ſine libro, vel non ſine exemplo, vel cer tè non ſine præuia aliqua noſtra cogi- tatione,

Hom. odyſſ. M. Tull. de Nat. De- or. p.

tatione,atq; ſimilium interſe rerum col latione factum comperiemus. At hi doctores, hi magiſtri noſtri dicendi. Itaq; veriſſimum eſt ac propè neceſſarium, ante omnem diſciplinam ſi non tempore, ſaltim natura rei præcedere aliquam doctrinam: & ſi quidem diſcentes dici cupimus, docentem aliquem primiter habere nos oportet. Hoc (ni fallor)
6. valet vox *doctus*; quæ non ad gnari hominis intelligentiam refertur partam iamdudum, vnde homines docti, adiectiua (vt vocant) appellatione dicantur; verum functionem reſpicit addiſcentis diſcipuli vocabulo participiali vt mens huius propoſitionis ſit, diſcere ſi cupias multa, da operam vt ſis doctus multa. Ideſt Doctorem habeas à quo multa atq; in multis erudiaris. Diximus enim ſupra *doctus* legendum omnino hic fuiſſe non *doctis*: quod viros doctos ex ex hac noſtra interpretatione rectum eſſe iudicaturos ſperamus.

Quæ noſti. Cap. *VI.*

SCALAE tendentis ad ſcientiā gradus alter indicatur hac parte. Nam ſi *doceri* primus: quidni ſuū cōpar (ſunt enim *πρός τι doceri & diſcere*) gradū ſecundū efficiat? *Noſcere* autē hoc loco pro *diſcere* ſumitur: & bellè quidem. Nam quamuis exprimatur alicubi pro *ſcire*: propius tamen ſua vi ſemper accedit ad diſcentiam (cogimur enim verbo inſolenti vti ad clariorem explicationem) quàm ad ſcientiam. Quandoquidem *nota*, vnde vox effluxit, exteriorem tantùm notionem deſignat, quaſi de facie noſſe dūtaxat: cum *ſcire* ſit ἀκριβῶς, & οἴκοθεν hoc eſt penitus & domi, vt Plinius imitatus Græcos dixit, quippiam inſpexiſſe. Hoc namq; intus perſpicit, & penetralia permeat; illud ſummam cutem modò intuetur. Sed inſtet aliquis: ſi noſcere valet id, quod diſcere, doctrinam autē neceſſario ſequatur vel comitetur diſciplina (relatiuorum enim alterum

Pli.epiſt.

7.

B ſine

ſine àltero conſtare nequit) cur in ſecundo gradu ponere, quod in primo velis nolis cõtineatur? At quis ignorat, Doctorem ſuo quidem docendi munere ritè fungi, ſi congrue doceat, & congrua; fruſtrari autem ſua doctrina, ſi diſcipulos vel indociles habeat vel parum attentos? Illa doctrina ſuam habet diſciplinam paratã & reſpondentem, quam ſat bene capiunt diſcipuli. Ea namq; noſſe dicimur, quæ cum edocti fuerimus, probè intelligimus. Proinde gradus alter poſt doctrinam, meritò conſtituendus fuit in ratione diſcendi diſciplina, ſiue notitiam hanc, ſiue cognitionem, ſiue intelligentiam vocemus, per hoc verbum *noſti* ſignificatam: quando non ſat habemus doctorem audire, ſi audita negligimus, vel minus intelligimus.

Meditando. *Cap. VII.*

TERTIVM iam gradum attingimus: meditatio hæc, nobiliſſima procul dubio

dubio, ac propriiſſima mentis humanæ functio. Eſt autem meditari, ſiue hoc verbi à græco μελετᾶν, vt antiqui Grammatici voluerunt, ſiue aliunde ducatur, vt mihi verius videtur, eſt inquam meditari ſecum cogitare, voluere in animo, & retractare, quaſi modos & media tueri (vnde fortaſſe vocis deriuatio) inquirere certè, atq; indagando venari, quibus ad finem optatum perueniamus. Hæc ex interuallo iterata recognitio, commemoratio, recordatio, cogitatio, quam meditationem aptiſſimè nunc vocamus, gymnaſia repetitionem indigitant, quantum opis afferat ad ſcientiam, paulo poſt vberius dicetur. Nunc tantum aſſerimus, neq; de docta præceptoris traditione, neq; de ſedula noſtra vacatione tantillum fructus ad nos rediturum, ſi paulo poſt quæcumq; didicerimus effluant. Et verò effluent, niſi dum adhuc recenti memoria complectuntur, mente atq; animo repetantur, & quaſi cibaria non bene cocta, iterum atq; iterum bulliendo recoquantur.

Quintil. lib. 11. cap. 2.

Inoleſcere menti. Cap. *VIII.*

VErborvm vſum ſępenumero diſtare ab eorundem origine nullus ambigit, & in explicandis auctorum ſenſibus modo hanc, modo illum ſequi fas eſſe concedent æquo animo omnes: Itaq; literatoribus ægre eſſe non debet, ſi in explicanda præcepti Auſoniani mente pulcherrima, & ordinatiſſima nos vſu vocis *inoleſcendi* contempto, originem illius ſecuti fuerimus. Ergo propterea ſunt nobis ea meditanda, & animo memori ruminanda, vt menti inoleſcant. Sed quid hoc ſodes? Quartus ad ſcientiam gradus hic aperitur. Quid ſit olere norunt omnes, qui olfaciendi facultate non deſtituuntur. Vt ergo abolere eſt extinguere, & quaſi vel odorem rei omnem extergere, non modo rem ipſam perdere: ita *inolere* iuxta vocis originem eſſet rem quampiam eâtenus inferre alicui, vt odore illius tantũmodo afflетur, & perfundatur. Quoniam verò

leuem

leuem quandam & ſuperficiariam inhæſionem intelligi volebat Poeta, verbum incohatiuum adhibuit libentius, cum alioqui primitiuum loquendi vix admittat vſus: vt ſit *inoleſcere menti* idem propemodum, quod inodorare mentem halitu notitiæ meditatæ, propriè loquendo. Neq; enim me præterit, hoc verbi poſſe quidem aliâs accommodari ad ἐμφῦναι vel ἐμφύεσθαι, quod eſſet, inhærere, vel etiam aliquando ad ἐμφυτεύειν, quod eſt inſerere. Verum huic loco non inhæſio, vel inſitio, ſed afflatio quadrat aptius. Ergo quarto loco meditationis prædictæ opera ac labore mens aſpergenda eſt, ac ferè tingenda rerum, quas fuimus docti, quaſq; doctè intelleximus. Hactenus aſperſionem modo, & tincturam ſcientiæ quartus hic diſcendi labor attulit: nondum autem corpus ipſum natiuũ & ſubſtantiam ſcientiæ mens aſſecuta. Et vix dici poteſt, quàm ſcitè eleganterq; Poeta, dum memoriam tantum affici ſignificare voluit, odoris huc ſenſum tranſtule-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rit. Magnam etenim affinitatem, neſcio quomodo, contractam videmus, Memoriæ cum odore. Hoc norunt apprimè,

10. qui primeuæ linguæ mirificam efficacitatem primioribus labiis deguſtarunt. Nam ab eadem radice זכר & memoria prodit, & odor apud Hebræos.

Quæ didiciſti haud dum, dicendo *Cap. IX.*

SVAVE olentis ſcientiæ ſuffimine iam oppletæ ſunt ædes: quid reſtat amplius? Nimirum quod omnium maximum & præcipuum: habitum ſcilicet ſcientiæ comparare: ſine habitu namq; habemus nihil. Rectè philoſophi primi firmum illum & ſtabilem vel in animo, vel in corpore quaſi alteram cōceptam naturam ἕξιν vocarunt. Proinde meditata, atq; adeo menti infucata, vel etiam leuiter impreſſa ſcientia, nondum ſcientes homines facit, habitudinem (fateor) ſed non habitum induxit. Habitus iſte, qui vix vllo vnq̃ tempore, vel impedi-

mento

mento dimoueri poſſit à ſubiecto, parandus omnino nobis; ſi ſcire in ſolidum volumus. Hoc opus, hic labor: vt ſine labore, & nullo ferè opere noſtro, tanꝗ natura ſponte ſua in id prorumpat, ſcientiam, vel ſcientiæ partes, quas amplectimur, in promptu ac velut innumerato habeamus neceſſe eſt: vt vbi ſit vſus, ilico, & liquido quaſi è promptuaria cella depromamus: ſecus haud dum noſſe nos nouerimus, & profiteamur. Quid? ſi quod opere multo & labore ingenti parandum eſſe dicebamus (hoc erat habitum comparare) via facillima, negocio minimo indulgens, Magiſter & experiens Auſonius doceat nos aſſequi? Docebit (ni fallor) documento ſequenti, vnico tãtum verbo luculentiſſimè.

Dicendo. *Cap. X.*

NIsi res ipſa per ſe loqueretur, frequentiq; experientia comprobaretur, phyſicam rationem adhibere non eſſet difficile: quod ſæpe ac ſæpius pro

nunciando quiddam, mens vnâ cum lingua in eo percurrendo ita aſſueſit, vt labia vel ſine mente, certe aliud agente animo, ne dum mens ipſa ſine vllo labore, vel cogitatu laborioſo, ad libitum poſſint & extemplo ſingulas vel vniuerſas partes illius expeditiſſimè, & liquidiſſimè proferre, quod exerta voce fuerat frequenter iteratum. hoc expreſſit Auſonius verbo iſto *dicendo*. Mirum dictu, quomodo rurſus ac rurſus quamuis longiſſimam orationem legẽdo ac relegendo altiori voce, hoc eſt *dicendo*, ac potiſſimum exercitamenti gratia alios docendo, memoriæ Theſauro tandem ac tutò commendentur, quæcunq; in ea cuſtodita, & aſſeruata cupimus. Sciat ſtudioſa Iuuentus, ad ſcientias capeſſendas aliam procliuiorem vel magis εὔκοπον εὐκολόντε viam repperiri nõ poſſe. Quiritetur nemo poſthac durum negocium ſingula ediſcere. Naturam incuſare nullus audeat in poſterum duriore memoria natum ſe, vel fluxa nimis. Promptum remedium: medicina in medium

dium. Dictet tantum quæ velit addiſce re, & dictet voce expedita: rationem expeditam aio ſibi repertam. Mirabitur paulo poſt ſua ſibi feciſſe hodie, prorſusq; domeſtica, quę nudius tertius erāt aliena & peregrina. Mirabitur ac ſecum dicet; vicimus, vicimus, fugitiua mancipia, interdum etiam rebellantia ſumus conſecuti: Catenis vincta tenemus, & compedita, nec elabentur. Quintus gra dus hic eſt, beneficio cuius ſextum & vl timum appræhendemus tandem, qui ſe quitur. 11.

Abſumere tendas. *Cap. XI.*

VLtimvs iſte atq; altiſſimus, ſolidiſſimusq; diſcendi gradus, ſed in Au ſonio vel vetuſtate vel ambiguitate malè fractus, & conturbatus, totum hunc locum tantis ruderibus ac ſentibus impeditum dedit, vt aſcendi hactenus à ne mine (quod ſciam) potuerit. Quidam namq; legerunt *abſumere*: idq; ex antiquorum ſcriptorum codicum auctoritate

tate (vt editiones virorum doctiſſimorum Scaligeri & Vineti teſtantur, Quidam è diuerſo contrarium approbantes *adſumere* repoſuerunt. Sed vtro legatur modo nullus non hæſit vtrobiq;. Nos neutrum repellimus, atq; in vtrouis & ſenſum & aſcenſum repperimus valde commodum & ſententiæ noſtræ mirificè conſonum. Sententia fuit in ſexto hoc gradu habitum memoriæ comparari. Nam, poſt frequentem atq; iteratam dictionem vel lectionem, mēs ita vomere linguæ quaſi proſcinditur, vt literas rerum memoratarum benè impreſſas accipiat ac retineat. Ergo ſextus hic locus continet perfectionem atq; abſolutionem diſciplinæ, quam optamus: habitum enim adipiſci diſcendo quærimus, præterea nihil. Hunc habitum, ſiue hanc perfectionem, ſiue abſolutionem diſciplinæ amborum iſtorum verborum *abſumendi & aſſumendi* vocibus exprimere licuit. Si legamus *abſumere*, quod (quia viris doctis, quos nominaui placuiſſe video) malim: Quis neſciat *abſumere*

ſumere accipi pro conſumere? conſumere autem eſſe rem abſoluere, nullus negabit. Abſoluere verò valere perficere, vt abſolutionem poſſe perfectionem in confeſſo eſt omnibus. Ergo idem erit *abſumere* cum perficere. Vt mens loci ſit: quæ in mente quidem, & à doctore moſtrata, & à nobis intellecta & meditata, & quarto etiam loco inolita tantum, nondum verò inſculpta, hæc didiciſſe hactenus gloriari non debemus; Quia re vera non dum illa ſcimus; ſciemus autem, veramq; & ſolidam illorum ſcientiam tenebimus; ſi demus operam, vt *diçendo* ea abſumamus, hoc eſt, hauriamus, & abſorbeamus, ita vt mens imbuta vniuerſa & ſingula imbibat, ſuoſq; in ſinus accipiat, ſuam tandem in ſubſtantiam naturamq; conuertat. Hoc (ni falſus ſum) fuit illud *abſumere* nimirum conſumere, perficere & conſumare, ſiue quod vulgus literatorum dicit conſummare. Nam verbum, quod illi à ſumma deductum autumant, & geminato. M. ſcribunt, & proferunt, ego à verbo 12.

conſumo

conſumo potius deriuatum putarem, variata tantùm coniugatione: vt in aliis nonnullis factum nouimus, neq; in eo bis mugire placet. Nam primitiuum, *ſummare*, nunq̃ compâret apud puriores latinæ linguæ auctores. Quinimo & *ſumma*, & *ſummum* nomina à verbo ſumere, quòd illa iam ſumpſerimus, fluxiſſe iudicanda. Ergo quæ conſumuntur, rectè dicuntur, vt conſumpta, ſic conſumata: & quæ huiuſmodi, abſoluta & perfecta ſine dubitatione. Itaq; ſi *abſumere* idem ſit, quod *conſumere*, nulli dubium, quin *abſumere* valeat perficere, & ad ſummum gradum, nempe ad habitum ſcientiæ peruenire. Mitto quòd cum *meditari* rationem quandam habeat cum ruminare, vt *dicere* ferè cum mandere: poſt ruminationem verò & iteratam manſitationem, ſequatur deglutitio: quemadmodum poſt cibi ſumptionem ſequitur eiuſdem cibi aſſumptio: valde propriè collocatum videmus *abſumere*, quod ex altera parte reſpõdeat ingurgitationi, & deglutitioni,

pro

pro eo quod erat, ruminatam & commanſam doctrinam in viſceribus noſtris recondere. At verò ſi legendum ſit *adſumere*, eadem prorſus rei conſeruata ſententia, verborum modo commutata notione, ſic interpetrabimur. Quoniam ſumere quid ſit, norunt omnes, & inter alias acceptiones interdũ ſumitur pro ſibi arrogare, & proprium quid facere; *adſumere* proculdubio valebit latinè, ac propriè ſibi vendicare rem aliquam, propriam, ſuamq; aſſerere, & quod ad rem noſtram plurimum facit, *adſciſcere*. Quid nãq; aliud quærebamus, quidue, ſcala diſciplinæ erecta, laborabamus attingere aliud, quàm ſcientiam & ſcire? At *adſciſcere* vim addit verbo *ſciſcendi*; *ſciſcere* autem à *ſcire* propagari non dubito. Erit ergo *adſumere* idem quod 13.
adſciſcere, quod eſt validè aliquid & conſtanter ſcire. Sed quæ Circuitio? nonne habitum affectamus? quomodo habeamus melius quàm rem adſumendo: nulli autem dubium, quòd quo propius rem aſſumimus, eò proprius eam nobis appli-

applicamus,res autem quanto proporri tanto magis noſtra, atq; in ære noſtro cenſenda. *Adſumere tendas* ergo valet, adnitaris tuam facere,propriamq; dica-
Virg. re,vt ille ait. Atq; ita duo hæc inuicem committentes *abſumere & adſumere* eandem ſententiam vtrinq; elici noſcemus, diuerſa tamen habita ratione. Illinc ſpectamus terminum (vt dicunt) à quo, hinc verò ad quem. quomodocumque tandem concipiatur hic locus, ſententia ſemper conſtat eadem, quam nouo ſummario inculcatam mentibus ſtudioſæ Iuuentutis curabimus, *Si os loquatur mens ditatur*; hoc eſt ediſces promptè ſi dicas ſæpe. Poſtremus etenim diſcendi gradus fuit, ediſcere: quod Auſonius hic vocauit *abſumere* vel *adſumere*. Neq; mirum alicui videri debet tantam vim
14. *dicendo* ineſſe, vt facillimè inde ediſcentes verè ſcientes tandem euadamus. Quomodo *diſcere* frequentatiuum, ſiue iteratiuum videtur eſſe à *dico*: perinde atq; primores Latini ſermonis propagatores Iuuentutem monitam hac ipſa di-

ctione

ctione voluerint, quòd ſi diſcere cupiant, frequenter atque iterato dicant: Sic dicendo ediſcent, ediſcentes ſcient, non antea neq; alia ratione. Sed cur ex loquendi conſuetudine nec certa, nec vbiq; gentium trita, in re certa, naturali atq; omnibus & nationibus & temporibus communi argumenta ſumimus, ac non potius ex philoſophia, quæ ſola veras ac perpetuas rationes afferat? quærebamus cur dictio, ſiue locutio quę lingua fiat & voce tantam vim habeat ad memoriam vel ad efficiendam, vel confirmandam, vt minimo mentis labore poſſimus vel aliud agentes à memoria fideliſſimè pronunciare. Ratio in abdito non eſt. Animus & corpus (hę namq; hominis partes) ita inuicem operas mutuas ſibi dant, vt in quo partium altera laboret, in altera laboris fructus conſequatur. Hinc fit, vt non poſſimus flectere animum in rem quampiam, quin ilico in eandem vergant cum oculi tum reliqua membra corporis, quatenus ſit opus. E contra corporis nullam partem

ad

ad quoduis opus aſſueſeceris, quin mẽs & animus continuò ad idem inflectan tur & aſſueſcant. Hinc externæ laudan tur cæremoniæ, quòd internum affectũ non modo ſignificent, ſed efficiant quo que. Quid ergo mirum ſi dicendo, ac iterum dicendo, quę pronunciantur labiis, ſculpantur in animo? Hinc patet, quod ſæpius dictum nobis, hoc loco repetitum ſtudioſis & concluſum non diſplicebit. Qui ad ſtudium Muſices ſe applicat, encyclopędiæq; artem vnam aut alteram vel cunctas ambiat, facilè optatam metam continget.

1. Si doceatur.
2. Si quæ doctus fuerit capiat, noſcatq;.
3. Si quæ norit meditetur.
4. Si meditata curet inoleſcere memoriæ.
5. Si quæ menti vel memorię ſuf fita intus, exterius voce & lin gua dicat & pronũciet. Nam
6. poſtremo loco tandem inde fiet, vt quę cortice tenus

erant

erant commiſſa memoriæ, in viſcera & medullas vſq; interiores penetrent: ita vt tum deniq; illita prius illa tantum, infigantur demum atq; inſerantur, Itaq; verè ac ſolidè nobis ſcita dici queant.

Epigraphe de Demoſthene, quid ſit ad hoc Epigrammum. *Cap. XII.*

INſcriptionem huius Triſtichi *de Demoſthene* plurimorum ingenia torſiſſe, non eſt incredibile. Nam neq; de quo Demoſthene ſit accipienda declaratur. Et de magno illo Oratore Athenienſi ſi intelligatur, quid rei cum illo habeat, ſatis non apparet. Nos in re valde obſcura nil affirmantes, coniectura tantummodo noſtra indicata, iudicium aliorum expectabimus. Præceptio carminis huius tota, vt vidimus, in eo erat, caput acquirendæ diſciplinæ in habitu mentis conſiſtere. Habitum verò iſtum paruo negocio parari poſſe *dicendo*, formata ſcilicet exterius voce, quæ intus

animo conceperamus. Sed ab Excellentiſſimi illius Oratoris conſuetudine atque arte, de facili potuiſſe in ſcholas Rhetorum manare præceptum huiuſmodi adducimur. *Si quis ediſcere promptè*
15. *& ſolide quippiam velit, vocali nixu illud iterum atq; iterum ne pigeat pronunciare*. Celebratur autem de Demoſthene ad fluctum maris illum declamare ſolitum. Cauſa cur id factitaret, quam M. Tullius & Plutarcus afferunt, & ſi nonnulla ſit, potiſsima tamen (ni fallor) non fuit. Dicunt propterea id illi fuiſſe in more, vt ſtrepitum concionis aſſueſceret voce vincere. Ergo non Demoſthenis factū hoc Oratoris celebris, ſed Demoſthenis addiſcentis in ſuo tyrocinio. Deinde quorſum conari ſtrepitum frementis populi ſuperare voce, cum beneuolentiæ captatione, aliiſq; artibus id fiat cōmodius. Præterea ſi ad clamores populares clamore vocis ſe obfirmare conſilium fuit, vocemq; & latera roborare tantum curabat, cur declamabat ad fluctus marinos & non potius carmina

M. Tull. de fin. l. 5. Plut. in Vit. & de x. orat.

Poetarum

Poetarum quæ memoriter tenebat longè minori negocio & maiore cum emolumento inclamabat? Collem inſcendendo canere ſatius certè fuit, quàm ad littus ſtando vel ſedendo vociferari. Denique ſi tantum aſſueſcere moliebatur: vbi iam aſſuefactus, cur ad littora rurſus accedebat declamandi cauſa? familiarem enim & perpetuum fuiſſe hunc Demostheni morem accepimus. *Sed* demus hanc fuiſſe cauſam (nam viris tantis obuiam ire impudentiæ non minoris eſſet, quàm imprudentiæ) certè primariam cauſam non fuiſſe licet arbitrari. Notum omnibus hoc eſt, deq; tanto oratore diligenter obſeruatum: impræmeditatum illum ad concionandum nunq̃ acceſſiſſe. Cum dico impræmeditatum, non intelligo ſine vlla meditatione præuia; quis enim temerè atq; inconſideratè agat de republica apud populum vel in ſenatu? Verùm intelligo Demosthenem, quę ad ſuam lucernam accuratiſſimè lucubrarat, memoriæ ſemper mandare conſueuiſſe fideliſsimè, vt poſſet

ad populum agere confidentiſſime. Rationem autem commendandi memoriæ longiſsimam quamq; Orationem iniuiſſe illum certiſſimam, facillimamq; par eſt exiſtimare hanc ipſam met recitandi ac ſępius dicendi. Propterea ad littus ventitaſſe; vt loco ſolitario, & ab omni turba longe ſecreto ad maris fluctus alta quantum poſſet voce dicens, à nemine audiretur; & geſticulationes varias meditans non irrideretur. Quoniam verò talem ediſcendi rationem ab oratoria facultate, & à Demoſthenis exemplo manantem, valde laudatam & obſeruatam in ſcholis liberalium diſciplinarum poſtea fuiſſe coniicimus: Auſonius diſcendi modum tradens & gradum quintum, quem dicebamus ad habitum diſcendi comparandum primas tenere decernens, hoc eſt ad ediſcendũ plurimum conducere dictionem iteratam, epigraphen præcepti de ratione diſcendi ponere voluit *de Demoſthene*. Vt ab hoc tanto Oratore deſumptã totam hanc diſcendi methodum intellige

remus. Adde,quod(vt antiqui ſcriptores magno conſenſu tradunt) exemplo ſuo Demoſthenes docuit,quátum ponderis exercitatio haberet contra naturam etiam ipſam : qui ſpecu ſub Terrã effoſſo, illuc ſemiraſo etiam capite deſcendebat, ne à domeſticis quidem ſuis conſpici vnq̃ pateretur. Ibi ad ſpeculũ ſe contra vitia naturę, quibus multis & magnis ſcatebat,exercitatione, atq; frequenti vſu comparabat:. eatenusq́; decertabat, quatenus tandem victor euaderet, quod fecit pertinaciſſimè ac fœliciſſimè. Quis enim inter Græcos Oratores maiorem laudem ac nomen Demoſthene fuit conſecutus? quem vſquã legimus à natura plura & maiora vitia ad eloquendum habuiſſe? Naturam ille quibus machinis ſuperauit, præterq̃ vſu & exercitatione? De illo tradunt ſcripſiſſe Phalereum, cum *rho* dicere nequiret, exercitatione feciſſe, vt planiſſime diceret. De eodem legebam[9] vt Thucididem imbiberet, ſepties hiſtoriam illius ſua manu deſcripſiſſe. Cum

M. Tull. 2. de Diuin.

itaq; diſcēdi methodus hic ab Auſonio poſita ſummam & pertinacem exercitationem expoſcat; exercitationem in docendo & diſcendo; exercitationem in meditando & memorando; exercitationem potiſsimum in pronunciãdo. quis neget, quando Demoſthenis omne ſtudiū extitit in exercitatione, atq; in exercitatione ac frequenti vſu ſpem omnem ſui certaminis & coronæ Demoſthenes collocabat, meritò præceptionem hanc de diſciplinæ methodo aſſiduam & pertinacem exercitationem requirente, tamq̃ à Demoſthene deſumptam, de Demoſthene inſcriptam fuiſſe.

Alterius Epigrammi Auſoniani de Demoſthene, explicatio. Cap. XIII.

HInc alterius doctiſſimi atq; ingenioſiſsimi Poetæ loci aperiendi datur occaſio. In quo ſat mirari non poſſum, quomodo virorum doctiſsimorū, atq; diligentiſsimorum mens aliquãdo peregrinetur. qui nam ego præ AEliæ

Vineti

Vineti eruditione & varia lectione futilis doctrinæ, & nullius planè notitiæ potui videre, quæ ille non vidit? In prima commemoratione profeſſorum de Victore Mineruio legit Vinetus.

„ *Et Demoſthenicum quod te primum ille vocauit*

„ *In te ſic viguit, cedat vt ipſe tibi;*

Et quamuis ingenuè fateatur vir candidus loci ſenſum & ordinem non ſatis videre: & interdum legat *ter primum*, quod rectum fuit & rectè concipitur in editione Ios. Scaligeri: exponit tamen ſuo modo quem mihi perſuadeo, lectis his, abdicatum iri à patre veritatis amantiſſimo. Res planiſſima, neq; vllæ in ea ſalebræ. Referunt Plutarcus & alii plurimi de Demoſthene, illum aliquando interrogatum, quid in Oratoria eſſet primum: reſpondiſſe, actionem. Rurſus rogatum, quid ſecundum: iterũ reſpondiſſe, actionem; Tertium quid eſt, ò Demoſthenes in Oratoria? Tertio item reſpondit Orator eximius, actio proculdubio. Hoc fuit Demoſthenicum illud 16.

Plut. in vit. Dem. M. Tull. 3. de orat. & 1 Brut.

ὑπόκρισις videlicet,quam ter primam vo cauit Demoſthenes. Hanc in Mineruio ſic viguiſſe dicit Auſonius, vt ipſe Demoſthenes illi in agendo,& pronuncian do facilè ceſsiſſet. Fuit autem Demoſthenes in hac parte non ſolùm mirabilis,quia venuſtiſsimè & aptiſsimè agebat,pronunciabatq́;: Sed quia natura factus ingenio ad eloquendum ineptiſsimo,lingua vitioſiſsima, humerum iactatione ad faſtidium & riſum vſque ingratiſsima: diligentia tamen, magiſterio, exercitatione, vſu, contentione, peruicacia tantum profecit, vt illud celeberrimum *de Demoſthene* iactaretur: magnam partem Demoſthenis abeſſe à Demoſthene cum eius Orationes legun tur. Quid ſi illam Beſtiam audiſſetis? obtrectator eius dixit AEſchines. Et ſanè quid ille nõ fecit cum ad ſpeculum (vt dudum dicebamus) periclitabatur, dum pronunciando difficultatem ſcrupis ore inſertis emendare adnitebatur? Si itaq; tantum habet roboris exercitatio vt naturam ipſam peruincat: noſtrũ

verò

verò hoc Triſtichum ad ſolam exercitationem, ſtudium omne ritè diſcendi referat; ſi rurſus ad ſciendum opus eſt ediſcere, & ad ediſcendum iuuat mirandũ in modum recitare; nulli mirum ſi Demoſtheni exercitationis primario patrono & quaſi tutelari Deo; Item ſi Demoſtheni ediſcenti cuncta quæ dicturus eſſet, & ad ediſcendum recitanti & dictitanti, præceptum iſtud diſcendarum artium referatur.

Muſæ cur accerſantur in tractationem de diſciplina. Cap. XIIII.

SED quoniam diſcendæ artes, quas intelligimus, quarumq; addiſcendarum methodum tractamus, à Muſis, hoc eſt ab humanitate, ac doctrina (vt Muſarum Apollo M. Tullius interpretatur) multum abeſſe non poſſunt, quinimo artes iſtæ vel Muſæ ipſæ ſunt, vel Muſarum aut ſoboles, aut origo, vt paulo poſt explicabitur: Certè doctrinarum & leporum pręſides habentur Mu

ſæ ab omnibus: & Nymphas illas, quas
Horat. doctiſsimus Horatius *Nymphas diſcentes* vocauit, Muſas eſſe non dubitamus; Age rationem diſcendi profeſſos ne pigeat, nos de Muſis apponere quædam, quæ ad locum Auſonianum amplius illuſtrandum mirè conducunt. Si qui autem noſtra hæc vt noua, & ab antiquorum commentariis non parum diſcrepantia fortaſſe refugiant: ſciant velim præcluſam hactenus nemini fuiſſe philoſophandi viam; modo iudicii & rationis biga vehātur. Meminerint quoq; ἀνεωγμένας μουσῶν θύρας καὶ ἀφθόνους.

Dicamus ergo primum de numero Muſarum; Deinde Muſæ nomenclaturam indagemus. Poſtea parentes Muſarum aduocentur. Deniq; præſtantiam illarum inuicem committamus ab explicatione Carminis ſuſcepti nil vnquam declinantes.

De Numero Muſarum. *Cap. XV.*

IN Muſarum numero diſſentientem vſq; adeo cerno antiquitatem, vt non tædeat

tædeat modo, ſed planè pudeat in opinionum tanta varietate recenſenda, tempus conſumere. Duas tantùm Phurnutus narrat fuiſſe olim Muſas in opinione multorum; tres Ephorus & Eumelus fecerunt; Aratus cum Mneſea quatuor finxerunt. Nec defuerunt, qui pro ſenſuum numero, quinq; Muſas poſuerint. Myrtilus (teſte Arnobio) ſeptem inducit; Quem numerum probauit in Muſis etiam Epicharmus. Crates apud eundem Arnobium octo aſſeuerauit: quod videtur innuiſſe noſter Auſonius cum dixit alicubi ludens Arnob. lib. 3.

„ *An te carminibus iuuat inceſtare Canoras* Auſon. epiſt. 5.

„ *Mnemoſynes natas aut tres, aut octo ſorores?*

Ad extremum Heſiodus nouem cum ſuis nominibus prodit. Miror à nemine ſenarium numerum in Muſis vſq; probatum; qui tamen ſi à ternario diſcedamus, phyſicæ veritati, atq; huic noſtro inſtituto maximè conueniret. Verum enimuero M. Varro, quo talium

rerum

D. Aug. lib. de Doct. Chr. rerum (D. Auguſtino iudice) nullus fuit vel doctior vel curioſior, tres tantùm Muſas aſſerit: & quomodo poſtea creditas nouem, ex antiqua hiſtoria etiam deducit. Quibus ab Heſiodo poſtea fuiſſe nomina impoſita declarat. Hoc doctè, atq; eleganter in ſuo Gripho ſignificauit Auſonius

Auſon. in Gripho.

„ *Tres ſolas quondam tenuit, quas dextera Phebi*
„ *Sed Sicyon totiens ternas ex ære ſacrauit*
„ *Relligione patrum.*

Verum ipſe aliquanto altius inſpectans, non ita vel temerè, vel vnius Ciuitatis Sicyoniæ facto per cunctam Græciam, imò per omnem omnium diſciplinarũ & ſcientiarum orbem, antiquum & verum ternarium numerum Muſarum ad nouenarium excreuiſſe mihi perſua-
17. dens, aliam huius numeri adauxti cauſam extitiſſe arbitrabar. Nam (M. Tullio auctore) triplicem ordinem Muſarum fecit antiquitas. Vel, vt idem Arnobius tradit, tria genera Muſarum fuerunt

M. Tull. de nat. Deor. lib. 3.

runt priſcis Theologis. Muſas primas memorat apud Ciceronem Cotta: memorat Secundas, & Tertias. Sed primi ordinis Muſas, quas dicemus nos apud antiquos Philoſophos? non ne ſtudia illa prima quę ad ſciẽtias nos inſtruunt, ac viam ſternunt? Cum Muſę ſecundi ordinis ſint abſq; dubio ſcientię ipſæ, ar teſq; modò liberales dictæ, modò Muſicæ, in quibus animus humanus ſe perficit, atq; ad diuinam naturam proximè accedens, ſe planè beat in hac vita mortali. Sed ordinis tertii Muſas, quas dicimus? oblectamenta illa (puto) ſonora, numeroſaq;, quibus animus primis vel etiam ſecundis ſtudiis laſſatus recreatur per interualla. In ordine primò, licet à Cotta Tulliano quatuor Muſę collocentur; tamen (vt mox explanabitur) vel ſex ponendæ, vel quod verius, tres duntaxat. Idem in Secundis & Tertiis iudicandum. Nam ſcientiæ omnes, quarum munus perficere naturam humanam, vel orationem vel rationem (functiones hominis proprias) expoliunt. At

ratio vel in contemplando verſatur vel in agendo. Vnde Muſæ tres in altero ordine, elocutionis, contemplationis, actionis. Tertiæ quoq; Muſæ, verè Camenæ quæ in cantilenis cernuntur, & quarum materies ſonus eſt: quia ſonus triformis. Aut enim editur voce, aut flatu, aut pulſu, vt idem D. Auguſtinus docet ex M. Varrone, & Magnus Auſonius cecinit in ſuo ternario.

D. Aug. l. 2. de Doctr. Chr.

Auſon. in Gripho.

„ *Ore, manu, flatu, Buxo, fide, voce canentes.*

Trinæ merito numerantur. Ergo in triplici Muſarum ordine, Muſæ ternæ nouenarium chorum iure compleuerũt. Hæc rationi congruentiora, certè planiora, videri poſſunt, quàm quæ de Muſarum numero diſputantur apud Plutarcum, & apud Macrobium in ſaturnalibus. Ternarium Muſarum numerum in ordine primo (miſsis reliquis, qui à preſenti noſtro inſtituto alieni) probamus ex hoc ipſo loco Auſonii apprimè muſico, quem interpetrabamur. Has Muſas dicebamus eſſe ſtudia illa nos ad

Plutar. c. 7. l. 9 Macrob. quæſt. Symp.

ſcien-

ſcientiarum orbem, encyclopędiam videlicet, Muſarum ſecundi ordinis Chorum, informantia, & deducentia. ſtudia iſta ſunt illi ipſi gradus, quos in diſcendi methodo ſæpe iam memorauimus, & in tribus verſiculis Auſonianis con- 18.
tineri contendimus: Vnicuiq; tamen Muſarum binos & binos gradus attribuentes. Ac ſane per quoſdam ſyzygias ita procedunt, vt ſex gradus tribus tantùm actionibus re vera conficiantur, licet duplo plures ratione diſcernãtur. Nam primam ſyzygiam docendi & diſcendi quis neget ſimul fieri? & eſſe viam vnam & eandem quaſi aſcenſus & decenſus?

,, —— *Quid .n. propius q̃ cura docentis* Fr.Benc.
,, *Diſcentisq́; labor?*

Canebat in ſtellam noſtræ tempeſtatis Lucii mei frater poeta luçidiſſimus. Hoc primo Coniugio naſcitur prima Muſa. Secunda quoq; ſyzygia meditationis & leuioris in mente impreſſionis ſimul itidem peragitur. ita vt neceſſariò quæ meditantur animo, inoleſcãt

menti

menti & memoriæ. Et è contra inolitā
menti, meditata vnà fuiſſe neceſſum
eſt: ex hoc pari Muſa ſecunda. Tertia
Coniugatio quæ erat *dicendi* & *abſu-*
mendi, hoc eſt lingua pronunciandi me
ditata, & ſua propria ac domeſtica di-
ctata faciendi, vnica quoq; functione
perficitur, plus minus pro vt frequen-
tius, rariuſue meditata, memorataq; re-
petimus: hæc tertia ſocietas peperit ter
19. tiam Muſam. Non ne igitur doctè ac
ſapienter finxit docta vetuſtas, hoc eſt
antiquiſſimorum Poetarum ſapientia,
Muſas tres? Et non ne valdè eruditè ac
methodicè noſter Auſonius tres iſtas
diſcēdi magiſtras in ſex gradus diduxit.

Trium primarum Muſarum Nomina. *Cap. XVI.*

QVomodo Muſæ nouem, & quo modo tres, & cur ſex dici etiam poſſent vidimus. Nunc de nominibus earum dicendum, non quidem omniū ſed quarum Choreas tantummodo ſpe

ctamus, hoc eſt trium ordinis primi. Et ſi quidem quæ à Pauſania traduntur, committantur cum iis, quæ apud M. Tullium referuntur à Cotta, & ab Arato ſcripta fuiſſe docent viri noſtræ ętatis doctiſſimi, dicemus ἐκ ἀμύσως primā Muſam vocatam fuiſſe Didachen. Nam Muſæ nomen apud Ciceronē *Edarches*, vt olim legebamus in tertio de Natura Deorum, quod poſtea à viris doctis ex Arato mutatum fuit in *Arche*, ſed vtrobiq; corruptiſsimè, cum *Didache* (ni fallor) ſit legendum. Quod quàm belle, quàmq; appoſitè quadret Muſæ primæ, vel primæ noſtræ ſyzygiæ, qua doctrinam vnà cum diſciplina complecti dicebamus, in procliui eſt. Secunda Muſa vocabitur Melete: hæc enim meditatio, quæ primam & potiſsimam partem ſecundæ ſyzygiæ obtinet. Tertiam nullus dubitet fuiſſe Mnemen: Significat hæc memoriam, mentem intelligo iam grauidatam ſcientia, quæ pars altera tertiæ ſyzygiæ fuit, poſtremum diſcendi gradum & perfectiſsimum aſſecuta.

Arat. in 5

Lil. Gir.

20.

D Itaq;

Itaq; Muſarum nomina noſtri ordinis primi iſta, Didache, Melete, Mneme. Quòd ſi qua trium Muſarum nomina alia apud priſcos reperiuntur: vt fortaſſe apud M. Tullium *Thelxinoe* vel Thelxiope, & Aoide, illa ad vocis meditamentum, quod menti ſi meditationi proximum eſt referemus. Nam memoriter pronunciãtes,quæ partim ſcimus, partim ediſcimus, occinere ſolemus. Cantus autem demulcere mẽtem, quis ignorat? niſi potius, quod ſanè veriſſimum eſt, ſtudiorum muſicorum quorumcumq; primam originem Cantum & Cantilenarum dulcedinem extitiſſe ſtatuamus. Atq; hinc factum, cur quidam interdũ quatuor Muſas facerent; alii interdum quinq;. Nam ſex noſtros gradus modo iugabant ad libitum, modo diſiungebant.

Vnde Muſæ Nomenclatura. *Cap.* *XVII.*

NVNC Muſarum trium primarum nominibus, & nominum rationibus

bus explicatis, quæ nos deterreat pigri-
ties ab inueſtigatione oppidò quàm
Muſica, & docta, cur ſic in genere Mu-
ſæ omnes à primo nuncupatæ? Nam
ad Auſonianę præceptionis ampliorem
intelligentiam, id quoq; non parum con
ducet. Scimus apud Platonem Muſæ
nomen deriuari ἐκ τοῦ μῶ τὸ ζητῶ eſt .n.
Muſa ζητιτικὴ vt inquit Euſtratius. Et
Hærcle ſine diſquiſitione, ac diligenti
indagatione ſcientia nulla. Quàmq̃ alii 21.
viri docti ab eadem origine, Muſæ voca
bulum deducentes, qua τὸ μῶ valet etiã
προθυμοῦμαι contendunt ſine prompta, &
ardenti quadam cupiditate muſici ſtu-
dii (quod certè veriſſimum eſt) Muſas
fore nos omnino ſemper dedignaturas:
ſed quid (amabò vos) vel ſyllaba vna in-
tercedit ſimilitudinis inter μάειν & Mu-
ſam? Neque nos fugit originationem
Muſæ laudari à Plutarco, quod μοῦσαι di-
cantur quaſi ὁμοῦ οὖσαι. quando ſororia
quadam beneuolentia, & conſuetudine
vinctæ inuicem adeo noſcantur, vt ſi
vni earum operam demus, vel quis etiã

vacare neceſſe habeamus, (complexu namq; mutuo ſe ambiunt ſcientiæ cyclicæ, vti dicebamus) & Orpheum habeamus auctorem, Muſas dictas quaſi μελετύσας, quandoquidem cantus dulcedine animos noſtros afficiant mellitiſſimè. Tantorum virorum iudicia, non eſt meum conuellere, ſed admirari potius & ſequi, tamen Euſebii notationi libentius adhæreo, quatenus Muſas ἀπὸ τῦ μύειν dictas cenſet. V. namq; latinam literam, feralem vocatam noſtro Auſonio in locum. Y. græcæ ſubditam fuiſſe, vt loquitur Terentianus, notius eſt, quam hoc loco nobis ſit referendũ. Non ſubſcribam illi tamen, quatenus τὸ μύειν vult ſignificare διδάσκειν καὶ παιδεύειν hoc eſt docere, vel bona & honeſta diſciplina inſtituere. Nam & ſi μύειν hoc ipſum valeat, & Muſarum quarumcumq; ſit docere, & honeſta diſciplina inſtituere; non propterea tamen Muſas ita dictas à principio priſcis illis ſapientibus reor. Multo enim antiquius Muſas hac voce compellatas vero ſimile eſt, quàm

τῶ μύειν

τῷ μύειν docendi & inſtituendi ſignificatio tributa. Nec dubito, quin Græcũ verbum, quod nictationi, vel potius occluſioni oculorum quoq; accommodatur, a labiorum atq; oris iſta, quam intel ligimus, compreſſione fuerit olim deriuatum, & muſſandi ſignificatio illi prius aptata, quam conniuendi; vtrobiq; certè preſſuram quandam intelligimus, & clauſuram, Ergo μύειν quod à viris eruditiſſimis, qui magna cum laude, neque minore diligentia & labore hæc tractarunt, omiſſum demiror, valet mutere vel mutire: vnde obmuteſcere, à quo muſſare, nempe mutorum more (vnde nomen huic naturæ defectui) qui vel μυ græcum vel *mu* Latinum proferre tantùm poſſunt, pręterea nihil. Hinc eſt quod μύειν & *muſſare* traductum continuò fuit ad ſilẽtium & taciturnitatem, vt propriè, & natiuo ſignificatu valeat tacere ac ſilere, quaſi obmuteſcendo. Id ęmulati nos vernaculo noſtro Idiomate, alterum ſigma tollentes *muſare* dicimus, quod eſt labiis arctè iunctis &

exporrectis(meditantibus ęquè & irraſcentibus comune) profunde aliquid animo volutare: atq; inde Muſas olim dictas putamus. Nam ſi de primis loquamur (quòd in addiſcendo verſantur) ἐχεμυθίαν illam pythagoricam neceſſariam illis eſſe nouimus. Meleten autem potiſſimam trium ſororum (vt paulo poſt demonſtrabimus) quæ tota ſilentium eſt (Muſſat enim ſecum meditatio, nec fabulari cum vllo nouit) quis inficietur meritò nomen communicaſſe reliquis ſororibus? ſi verò de ſecundis: quis non videt ſcientias omnes quietem, ſilentium, vacationem a cunctis ſtrepitibus requirere? vnde ſaltus & ſyluas, lucos & nemora, auia deniq; loca & ſecreta Pierides habitaſſe dicuntur.

Lucret. „ *Auia per nemora ac ſyluas ſaltuſque reperta*

„ *Per loca paſtorum deſerta atque ocia dia*, ſcripſit ille, & qui non diſſimili elegantia, ſed doctrina longe ſanctiore ſcribit & vocat *Amantes otia Muſas*. Hinc Muſarum templa, quæ dicebantur

F.Bene.

Muſæa,

Muſæa, quàm longiſſimè ab vrbium ſtrepitu ac frequentia ædificata: hinc noctem vocatam Euphroſinem Plutarcus teſtatur, quaſi ſapientem. Addo quod rerum notitiæ quæcunq;, literæ interiores & reconditæ, ſilente cogitatione animi,& quaſi muſſatione præcipuè comparantur. Deniq; muſſando Muſas ciemus,alia ratione neutiquam. Quòd,ſi cui cordi ſit ludere potius argutè quàm in re grauiſsima, & ſuauiſsima vocabuli notationem veram ſapienter inquirere: argutari non inſulſe per me licebit (Quando Muſæ, & Poetæ, quod inquit ille

,, *Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libãt*
,, *Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta:* quod ſugendo fieri vulgus putat ab apiculis) Muſas ſic dictas eſſe, quia μύζουσιν vndiq; quicquid mellitum eſt, grata carpentes tyma per laborem plurimum, vt noſter Horatius aiebat. Sed veritati, & naturali, ac germano Ethymo cedant argutulæ vocum pullulationes.

Plut.de Curio.

Obiectio in Ethymo Muſæ & eius ſolutio.
Cap. XVIII.

SED obiicias, quomodo Muſæ dicantur à muſſatione, ſi quas tertii ordinis fecimus Calliopem, Melpomenem, Therſicorem, ſine cantione & tripudio nullæ ſunt. Quæ verò ſunt ordinis ſecundi, videlicet artes liberales literarumq; reconditarum notitiæ nobiliores, voces amant diſputationesq;. Quę quamuis mutis literis mandentur, ob id mandantur, vt legantur aliquando, & per ora hominum efferantur. In primo verò Muſarum noſtrarum genere, nonne potiſſima Mneme erat, cuius Magiſtram poſuimus dictionem, vocalemq; declamationem? Reſpondemus Tertias Muſas non heras, ſed ancillas eſſe Muſarum. Quinimo hæ ſunt illæ Muſæ, quas meretriculas fortaſſe diuinus
Plat. Plato nuncupauit. Harum (licet ad inſtitutionem Iuuentutis nonnihil accomodatarum) nullam modò nobis rationem

nem habendam duximus. Secundas Muſas quis neget meditatione potiſſimum, hoc eſt ſilentio, tacitaq; mentis verſatione gigni? Poetasq; literarum interiorũ, bonarumq; artium inuentores primos meditando & muſſando ſuas Muſas accire ſolitos? quod nobis diuinè Poetarum omnium coryphæus Virgilius non indicauit, ſed expreſſit, cum ipſo in limine ſuorum poematum, Muſam meditationi iungit & tribuit 22.

„ *Syluestrem tenui Muſam meditaris auena*, & Virg. Buc.

„ *Meditabor arundine Muſam.* Quod ſi canere, & decantari Camænas iuuet, hoc illis ex accidenti eſt, non originarium. Primi verò ordinis Muſas, quæ diſcendi normam & viam nobis aperiunt, nullus non ſentit in ſilentio maximè & tacita quadam muſſatione comparari. Tum quia diſcentem credere oportet; hoc eſt, præter ea quæ à Doctore dicantur, curioſè nihil debet velle quærere vel diſputare; tum quia præcipuum ſtudium addiſcentis in medita-

tione verſatur, Nam etſi dicere ſtudioſus diſcipulus iubetur, ita vt abſumat, quemadmodum declarabamus; eiuſmodi dictio, & recitatio nil habet in ſe loquacitatis, cum ſecum tantùm loquatur exercitamenti cauſa; nec aliud dicat quàm quod prius meditando mutiuerat. Nihil obſtat itaq; quin Muſa, quod *Mu* faciat meditando, cogitando, & muteſcendo, ſic dicta fuerit longè ſanè priusq̃ mutire, vel muſſare ad myſteria quæ ab eadem voce denominata, vel ad inſtitutionem eorum, qui myſteriis initiantur deriuaretur. Cum μύσαν pro ἔμυσαν (vti videre eſt) multo aptius referat Muſam, quam μῶσθαι. Ab eadem namq; ſcaturigine manant, & μύειν quod eſt claudere & μυέειν quod eſt ſacris initiari, & (quod ad rem facit maximè) μύζειν quod eſt θηλάζειν nempe lactantis mammam ſugere, id quod Muſſando, & labia compreſſa porrigendo præſtamus. Nos vernaculo idiomate hanc labiorũ compreſſionem, porrectionemq; *far muſo* vel *Muſare* dicimus. Lactis.n.

&

& mellis, & Muſices ob dulcitudinē eandem mira conſonantia. Et quæ mira? Iouem à Muſis (hę namq; Meliſſæ) lacte & melle nutritum in cunabulis, vnde ipſe Meliteus aliquādo dictus. Eundē autem Muſarum Genitorem (vti ſtatim dicemus) & à Muſis altum fuiſſe (vt modò indicamus) non debet turbare quemquam. Si quidem vis cœleſtis ingenii nobis à ſummo Ioue manat, artificium autem Mentis, quæ Iuppiter noſter eſt, Muſarum ope comparatur,

„ *Alterius enim ſic*
„ *Altera poſcit opē res, & coniurat amice.* Hor. ī ep. ad Piſ.

Muſarum primi ordinis Parentes. Cap. XIX.

IAM de Muſarum parentibus adeo diuerſa omnia, atq; incerta traduntur, vt opiniones varias auctorum referre non ſit Muſæum ornaſſe, ſed obſcuraſſe. Neq; mirum in tanta gnatarum ambiguitate, genitores haberi æquè ancipites. Nos adhibita diſcretione Muſas primæ ſeriei, quas proprias huius lo

ci

ci poſuimus,& triplici ſyzygia contine ri dicebamus, Ioue & Mneſymone natas non abſq; ſapienti ratione antiquitus creditas iudicamus. Per Iouem enim cæleſtem virtutem, qua diuino quodam inſtinctu ad literaturam & bonas artes impellitur hic, excluditur ille, voluerunt intelligi priſci ſapientes: vnde illud Maronis.

23. „ *A Ioue principium Muſæ.*

quod licet ab exordio phænomenon Arati ductum videatur, & Virgilius ipſe ita videri non recuſarit: intulit enim.

„ —— *Iouis omnia plena.*

manifeſtè ad illud Aratæum μεςαὶ δὲ διὸς πάσαι μὲν ἀγυιαὶ reſpiciens, nihilominus à Theocrito ſine dubio ſumptum id fuit: qui Idylliũ Ptolomei ſic exorditur.

ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα,

Nam mens Virgilii fuit aſſerere Muſarum originem eſſe à Ioue, non (inuocatis Muſis) vt vulgo capiunt, à Ioue principium rerum omnium manare: quod volebat Aratus. Atq; ita paternã Muſarum originem, ſagacius aliquanto

venati

venati ſumus, quàm ii, qui cum Euſtratio dixerunt, Muſarum Patrem propterea dictum Iouē, quia ζεῦς ὁ νοῦς, Muſam verò ὡς νοὸς προβολήν καὶ ἐνέργειαν capiunt: ſed hac ratione Maternam potius genituram explicaſſent, quàm patriam. Simul enim cum Matre fœtus ſemper, at Pater forinſecus accedit. Per Mnemoſynem autē intellexit priſca ſapientia mentem humanam: in qua tanq̃ in vtero materno formātur diſciplinæ, vel diſciplinarū methodi: quarū vltima & perfectiſſima eſt Mneme (vt dicebamus) ideſt ipſa Memoria, vel Mnemoſyne grauidata, & in habitu ſcientiæ iam facta. Ergo rectiſſimè illud Solonis,

„ Μνημοσύνης καὶ ζηνὸς ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέχνα

—— μοῦσαι πιερίδες.

Nam qui Mnemoſynem faciunt Muſarum Parentem, quòd memoria ſit valde neceſſaria ad ſcientias addiſcendas, ii mihi non matrem Muſarum memoriam videntur feciſſe, ſed obſtetricem accerſiſſe. Primarum Muſarum genitricem agnoſcimus nos memoriam pro

men'e

mente, animi noſtri potentia ſumptam, & eandem ſecundarum quoque Muſarum Matrem aſſerimus, pro mente iam in habitu ſcientiæ (vt ſtatim dicemus) acceptam.

Muſarum ſecundi ordinis Parentes. *Cap. XX.*

QVos ergo Muſarum ſecundi ordinis, parentes dicemus? hoc eſt, ſcientiarum cyclicarum quem patrem, & quam matrem nuncupabimus? Laborare cum Cotta Ciceroniano de Ioue altero, & de Ioue tertio, meræ nugæ. Vnus enim Deus, & apud veteres & veros philoſophos vnus, atq; idem Iuppiter ſemper. Præterquàm quòd à Ioue ſumpto ſemel initio proſperè, nõ eſt cur ritè auſpicata initia rurſus iterentur. Ergo quem ſcientiarum parentem, cui amorem, cuiq; venerationem præſtare (ſicuti Patri) par ſit, agnoſcemus? hæremus ne in via ſtrata & complanata? Methodus noſtra nobis reddit

iter

iter expeditiſſimum. Attendamus vltimam noſtram ſyzygiam, hæc erat *dicere* & *abſumere*: in qua continebatur tertia 24.
Muſa. Sed in illo *dicendo*, nõ ne vſum & exercitamentum: & in illo *abſumere*, non ne fructum & ſuccum intelligebamus, quo mens imbuta ſcientia, Mneme ideſt memoria obfirmata dicebatur? En ſcientiarum Pater, vſus; en Mater, memoria. Vnde celebris Afranii ſententia ſapientiæ nomine Romanos allocuta, ſcientiarum orbem, noſtramq; encyclopædiam intelligens.

„ *Vſus me genuit, mater peperit memoria*
„ *Sophiam me vocãt Graij, vos ſapientiã.*

Diſciplinæ enim liberales vſu (tanquam Parre) frequenti & aſſiduo exercitamento comparantur. Et in Mneme quæ modò Mnemoneſyne erat (tanquam Matre) concipiuntur. Mneme namq; & Mnemoſyne eadem latinè memoria ſunt, ſed hæc (vt dicebamus) facultatem tantùm præbet, illa verò habitum præſtat. Itaq; Muſarum poſtrema ordinis primi coniugio ſuo gignit & parit

alias

alias omnes ſecundi ordinis Muſas. Tertias ſiue ex Pierio natas, ſiue ex alio, nihil moramur; quamuis non ignoremus vulgarem muſicam, & ſonoram iudicio

Ariſt. 8. pol. etiam Ariſtotelis πρὸς ἀρετὴν τι τείνειν. Et conferre multum πρὸς τὴν παιδείαν, quandoquidem Muſica παιδιά quædam ſit, non diffitemur.

Muſarum inuicem dignitas æſtimatur.
Cap. XXI.

De trium iſtarum virginum inter ſe dignitate quid erit iudicii? præſtare ne cæteris Mnemem dicemus, quòd apud Delphos huic potiſſimus locus datus? An Didache reliquis anteſtabit, quia princeps aliarum & natu maior? Sed non'ne Meleten, meditationem, cogitationemq; animi mutam Muſis nomen dediſſe vidimus? Dicamus pares inuicem eſſe omnes, æqualiterq; præſtantes (vti ſorores decebat) ita tamen pares, vt ſingulæ prærogatiuam aliquam occuparint; Quarum Didache

quòd origine prima cæterarum ſit, præ ſtare] cæteris facilè apparet: principium namq; in vna quaq; re quanti ſit, ignotum eſſe nemini poteſt; quãdoquidem non modo (vt vulgo iactatur) dimidiũ, ſed (vt magni philoſophi cenſent) plus etiam quàm dimidium totius ſit. Iuris conſulti ſic ſtatuunt: Cuiusq; rei potiſſimam partem eſſe principium, certè μέγιστον παντὸς ἔργου ἀρχὴ præſertim Iuueni, & cui vis tenero, vt ait Plato.

Ariſt. 5. polit.
Plat. de leg. 6.
Ariſt. 1. eth.
Caius de orig. iur.
Plat. 2. de rep.

„ *Incipe, quicquid agas*, pro toto eſt prima operis pars, noſter Auſonius in artificioſo ludo, prodigus in hac cenſura paulo magis, quàm qui dixerat conſi deratius & verius.

Auſon. in Tecnop.

„ *Dimidium facti qui cœpit habet:* Acutè tamen, & ad Iuuentutis ſocordiam diſpellendam valde accomodatè in epigrammatis idem noſter rurſus.

Horat. epiſt.

„ *Incipe, dimidiũ facti eſt cœpiſſe, ſuperſit*
„ *Dimidium; rurſus incipe, & efficies.*

Auſon. epigram. 80.

Quid? quod ἐν ἀρχῇ diuina lux quædam ſemper affulgere conſpicitur; vnde initia & initiari tribuuntur ſacris.

Cur

Cur ergo mirum ſi prima Muſa ſibi ven
dicet primas? Mneme contra quòd po
ſtrema omnium ſit, cuiq; reliquæ tan-
quam dominæ famulentur, honeſtiſſi-
mum locum ſibi aſſumet non iniuria.
Finis enim præſtat omnibus, quæ ſunt
ad finem. At quis abnuat, ſi doceamur,
ſi diſcamus, ſi meditemur, ſcientię ergò
parari iſta omnia. At qui ſcientia præ-
gnantem mentem Mnemen, Muſam
tertiam ac poſtremam, vocabamus. Ad
hanc vbi peruentum, nil quærimus præ
terea; laborum noſtrorum ſcopus om-
nis hic & fructus. At verò quis non lau
det in arbore fructus præcipuæ? Nam
ſi frui fructibus liceat, de ramis ac foliis
reliquiſq; partibus ſolliciti non valde ſi-
25. mus. Verumtamen Muſæ, qua Muſa,
dignitate penſata, Melete quæ medium
natura locum obtinuit, ſupremum ho-
norem ſibi dari iure poſtulat. Nam hæc
tota noſtra eſt, mentis ſcilicet atq; ani-
mi propria vis iſta, neque ab externo
aliquo, imo neque ab vllo noſtrimet
corporis membro dependet. Didache

ab ore docentis vel a libris magiſtris pendet. Mneme locutionis & reçantationis, hoc eſt linguæ & vocis (vt dicebamus) munus expoſcit. Hinc meditari Muſarum, Poetarum, Philoſophantium maximè proprium. Neque enim muſicis ſtudiis ſe ſe applicantium res vlla meditatione & tacita mentis agitatione magis ſua & peculiaris. Demum hæc vna Muſa Cœlos aſcendit, Deoq; nos ſimillimos reddit, Eſt enim inſtar diuinitatis αὐταρκής. Nullam etenim extrinſeca re aſcita ſuaptè vi ad opus exſurgit quandocumque libeat. Et hæc de Nimphis diſcentibus dicta. Vtinam ſicut ſtudiis & Iuuentuti ea libauimus, ita Muſis litauerimus, ſimilem periocham adolentes in gratiam adoleſcentum à qua ſumus initiati.

SI DISCERE VIS MVLTA, EDISCAS MVLTA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata ſic corrigito.

pag.	ver.	Errata.	Correcta.
8.	7.	elegantiarum	elegantium
14.	16.	ὴ	ἢ
27.	17.	ſuosq;	ſuosq;
29.	23.	adſumendo :	adſumendo ?
30.	1.	proporri	propior
30.	22.	euadamus. Quomodo	euadamus, quãdo
42.	11.	ſuiſſe	fuiſſe
44.	21.	adauxti	adaucti
45.	9.	muſicæ	muſicæ
46.	24.	interpetrabamur	interpretabamur
47.	9.	quoſdam	quaſdam
48.	16.	diduxit.	diduxit ?
50.	7.	menti ſi	mentis
51.	8.	μὼ	μῶ
51.	8 & 9.	ξητῶ, ζητιτικὴ	ζητῶ, ζητιτικὴ
51.	13.	μὼ	μῶ
51.	25.	vel quis	reliquis
54.	1.	irraſcentibus	iraſcentibus.
54.	6.	ἐχεμυθίαν	ἐχεμυθίαν
55.	20.	μυξουσιν	μύζουσιν
58.	20.	μυξειν, θηλάξειν	μύζειν, θηλάζειν
60.	20.	non (inuocatis Muſis) vt vulgo capiunt,	non (inuocatis Muſis, vt vulgo capiunt)
63.	17.	Parte	Patre

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA